



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

L. Acta synodi Romanae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

## TITVLVS LI.

Acta synodi Romanæ de confirmatione electionis  
Karoli Imperatoris, missa per Adalgarium  
Episcopum Augustodunensem.

In vetusto exemplari istius synodi, ut Sirmondus docet, hæc leguntur de actis ipsis ad Karolum Imperatorem missis: *Synodus quam attulit Adalgarius Episcopus de parte Iohannis Papa aliorumque Episcoporum Karolo ad Urbem civitatem, quando pergebatur isdem Karolus Romanæ.*

*Sequitur gesta qualiter Dominus Karolus filius Hludouici Imperatoris fuit factus Imperator Romæ tempore Iohannis Apostolici anno incarnationis Domini DCCCLXXVII. Indictione x.*

SERMO DOMNI APOSTOLICI IOHANNIS  
IN SYNODO EPISCOPORVM.

Omnibus generationibus immo cunctis mortalibus liquet qualiter omnipotens & creator uniuersorum Deus in Ecclesiæ suæ parte quæ gemebunda peregrinatur in terris, per generationes & generationes electos suos velut in cælorum ambitu sidera nova produxerit, ut mirum modo in eisdem Ecclesiæ cælo fixa, diuino lumine radiantia, mœrentium animos inlustrarent, depulsis tetræ mœstitiæ tenebris & diversarum angustiarum dissipata caligine. Inter quas tanquam clarissimum sidus diebus nostris ecce nobis Karolum Christianissimum Principem superna providentia præciturum à se & præelectum ante mundi constitutionem & prædestinatum, non nisi copiosissima miseratione circa nostram salutem mota, secundum placitum suum, juxta quod congruum erat in isto periculoso tempore tribuit, nepotem videlicet illius quondam magni Karoli qui rempublicam proclis auxit, victoriis dilatavit, sapientia decoravit: qui cum omnes Ecclesiâs sublimasset, semper hoc ei erat in voto, semper in desiderio, sicut in gestis quæ de eo scripta sunt legitur, ut sanctam Romanam Ecclesiam in antiquum statum & ordinem reformaret. unde & hanc multis honoribus extulit, multis munificentis & liberalitatibus ampliavit, adeo ut amissas olim urbes ei restituisset, & ex regni quoque sui parte alias non modicas contulisset. Sed pauca dicta sunt, nisi quæ circa religionis incre-

mentum gessit magna & sublimia mementur. Religionis quippe statum inter diuersorum errorum & pravitarum vepres incultum inventum sacris litteris erudit, divina pariter & humana scientia perornavit, erroribus expurgavit, raris dogmatibus saginavit, atque intra brevissimum tempus ita industrio pietatis studio egit ut novus quodam modo videretur mundus, magnis luminaribus venustatus, & variis vernantibus floribus adornatus. Cujus filius, diuæ scilicet recordationis Hludouicus Maximus Imperator pater hujus à Deo electi Principis Karoli semper Augusti, patrum solium adeo religione imitatus, pietate laudabiliter æmulatus est, ut & paterna divini cultus vota & erga prælatam principalem Ecclesiam libertatis insignia pius natus æquipararet & roboraret, sed & uberioribus beneficiis & dapnibus munificentis, ut heres gratissimus, ampliaret. Verum iste hujus præfulgidus filius, Karolus videlicet, de quo nobis sermo est, serenissimus & tranquillissimus Imperator, qui nobis, ut prætulimus, in quos fines seculorum devenerunt, qui que caligosi temporis ex quadam parte tetras ærumnas & miseras sustinebamus, tanquam splendidissimum astrum ab arce polorum illuxit, non solum monumenta progenitorum bonitatem electæ radices ferens in ramo alacriter æquiparavit, verum etiam omne prorsus avitum studium vici, & uniuersum paternum certamen in causa

religionis atque iustitiæ superavit, Ecclesias videlicet Domini diversis opibus ditans, sacerdotes ejus honorans, hos ad utramque philosophiam informans, illos ad virtutes sectandas adhortans, viros peritos amplectens, religiosos venerans, inopes recreans, & ad omne bonum penitus subssecutus, & omne malum medullitus detestatus. Quapropter & nos, carissimi fratres, tot ac tantarum dilectionum ejus atque virtutum audientes insignia, & laudabilium longè lateque diffusa morum ejus intuentes indicia, pietatis illius affectus experti frequentissimè ac multifariè viscera, non immeritò intelleximus istum esse proculdubio qui à Deo constitutus esset salvator mundi, multò profectò præstantius ac decantius ita vocatus quam Iosèph, qui penè solam terram salvavit Ægypti. Vnde ab univerfa sancta Romana plebe, voce almæ illius Annæ sanctæ personam gestantis Ecclesiæ sterilis & fecunda, prophetico quodam modo spiritu temulento quotidie clamabatur:

1. Reg. 2. *Dominus dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.* & iterum cum David orabat Rege pariter ac Propheta, *Da, inquit, potestatem sive imperium puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ,* sanctæ videlicet catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ. Vnde nos tantis indicibus divinitus incumbentibus luce clariùs agnitis, superni secreti consilium manifestè cognovimus. Et quia pridem apostolicæ memoriæ decessori nostro Papæ Nicolao idipsum jam inspiratione cælesti revelatum fuisse comperimus, elegimus hunc meritò & approbavimus unà cum annis & voto omnium fratrum & coepiscoporum nostrorum atque aliorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ministrorum amplique senatus, totiusque Romani populi gentisque togatæ, & secundùm priscam consuetudinem solemniter ad imperij Romani sceptrum proveximus, & augustali nomine decoravimus, unguentes eum oleo extrinsecus, ut interioris quoque Spiritus sancti unctiois monstrarem virtutem, qua unxit eum Dominus Deus suus præ confortibus suis, Christum hunc oleo lætitiæ delibutum extrinsecus faciens, & principem populi sui constituens, ad imitationem scilicet veri Regis Christi filij sui Domini nostri, ita ut quod ipse possidet per naturam, iste consequeretur per gratiam. Deinde non hic perpetuus Augustus ad tanta fastigia se velut improbus intulit, non tanquam impor-

tunus fraude aliqua, vel prava machinatione, aut inhiant ambitione ad imperialem apicem aspiravit. Absit. Neque enim sibi honorem præsumptiosè adsumpsit ut Imperator fieret, sed tanquam desideratus, optatus, postulatus à nobis, & à Deo vocatus & honorificatus, ad defendendam religionem & Christi utique servos tuendos humiliter atque obedenter accessit, operaturus & roboraturus in imperio summam pacem & tranquillitatem, & in Ecclesia Dei justitiam & exaltationem. Nisi enim nos talem ejus cognovissemus intentionem, nunquam animus fieret nosster tam promptus ad ipsius promotionem, & hoc per sacerdotum Domini manus ministrorum ejus officium, sicut David & Salomon & nonnulli alij Christi Domini, quos nimirum non esse tangendos Spiritus sanctus per psalmorum cantica protestatur. Quapropter, fratres carissimi, omnes unanimes idipsum sentientes benedicamus Domino, & totis cordis ac corporis vocibus collaudemus, qui, secundùm quod pollicitus est, spernentes sprevit, & glorificantem se glorificavit, qui que hunc tantum nobis talèmq; contulit per quem merentium consolatio & paganorum contritio & Christianorum proculdubio speretur cita redemptio: summamque majestatem ejus & pietatem votis continuis obsecremus ut confirmet hoc in eo, immo & in nobis per eum, quod operatus est in eo à templo sancto suo, quod est in superna Hierusalem. Nosque quod jam in Romana Ecclesia, quæ est magistra, mater, & caput Ecclesiarum, auctore Deo famulatus nostri ministerio gessimus, preces benedictionis fundentes, & coronam impo-nentes sceptri & diadema imperij, etiam hic in sancta hac generali fraternitatis nostra synodo, ad quam Deo duce pro numeris necessitatibus & utilitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ convenisse dinoscimur, iterato cordis affectibus & oris vocibus & manus subscriptionibus roboramus, nec sint, quod absit, in nobis schismata, quæ Apostolus medullitus execratur, nec animorum alicujus divisionis vel diversitatis dissensio.

## RESPONSIO EPISCOPORVM.

Ecce, beatissime & apostolicæ Domine Papa Iohannes, luce clariùs videmus mentem apicis vestri gratia sancti Spiritus illustratam, qui profectò quos repleverit, ardentes pariter & loquentes facit. Nisi

Psal. 104.

1. Reg. 2.

1. Cor. 12.

enim ipse cor vestrum irradians tetigisset, nec ad tantam dilectionis erga nos flagrantiam accenderetur, nec ad tot mellifluos & salutare effectus, quibus nos proculdubio pie & assidue instruitis, proculdubio moveretur. Spiritalem autem filium vestrum Dominum Imperatorem Karolum Christianissimum & mansuetissimum Principem tanto jure cupimus & desideramus augustalia Romani sceptri gubernacula inconcussa & immutata immo augmentata & ampliata sine tenus retinere quanto liquidius non per hominem neque ab homine sublimatum & ad tantum culmen potestatis evectum, superna gratia revelante, cognovimus, qui nimirum cordi sacratissimo apostolatus vestri interiorius inspiravit ut non vos prius eligeret, sed antea vos eum & eligeretis & diligeretis. Sed & nos, o Domine & coangelice Papa, vestigia vestra sectantes, & salubria monita recipientes, quem amatis amamus, quem dilexistis diligimus, quem elegistis eligimus, & quod in eo auctore omnium bonorum Deo, sive divina benedictione, sive sacra unctione, sive coronae imperialis impositione gessistis, vicerabili affectu sequimur, & celebri laude prosequimur, & digna honorificentia veneramus, atque totius sensus nostri nobis ita permanere atque pollere semper optamus. Sed & si necessitas fortassis exegerit, totis officij nostri conatibus adversus aliter sentientium molimina resistere fatagemus. Cum enim, secundum Apostolum, non sit potestas nisi a Deo, & haec precipue quae tam pio collata est, haud dubium quin Dei ordinationi resistit qui isti ordinationi, quae nobis ministrantibus caelitus facta est, obstinata mente resistit. Apostolico quippe culmini, docente sancto Bonifacio Papa, nemo unquam obices manus intulit nisi qui de se voluit judicari. Durum est autem contra stimulum calcitrare vel adversus impetum fluminis conari.

## ITEM SVMMVS PONTIFEX.

Quia igitur, fratres dilectissimi, inspiratio divina omnium nostrum corda in unum sensum & in unum eundemque de liberationis finem direxit, ut scilicet unum sentiamus & unum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata, quae in praefato piissimo & tranquillissimo Imperatore spirituali filio nostro Karolo, auctore Deo, sive preces benedictionis super caput ejus

infundendo, sive sacrae unctionis oleo celsum ipsius verticem contingendo, sive coronam imperij conferendo gessimus, sententia prolacione, si unanimi generalitati vestrae videtur, & per manuum subscriptionem etiam in praesenti hac venerabili synodo, sicut jam hortati sumus, iterato promulgemus & robaremus.

## SANCTA SYNODVS RESPONDET.

Placet & valde placet in omnibus vestra sacratissima sectari vestigia, neque fas est ut a culmine apostolatus vestri in aliquo dissentiamus, quem videlicet ipse Christus Dominus noster omnium nostrum ad vicem suam in terris esse voluit caput.

TVNC SVRGENS SVMMVS  
PONTIFEX SENTENTIAM  
PROVLIT, DICENS.

Piissimi & serenissimi spiritualis filij nostri Karoli magni & pacifici Imperatoris ad imperialia scepra electionem & promotionem ante mundi quidem ordinem divinus ordinatam, nuper autem, id est, praeterita nona indictione, per ministerium nostrae mediocritatis exhibitam, annuente Deo ex tunc & nunc & in perpetuum firmam & stabilem decernimus permanfuram.

Responderunt omnes: *Placet, placet.*

## ITEM.

Si quis tantae rei divinitus actae proculdubio institutionem superbia aut avaritia vel certe aliquo pessimae ambitionis instinctu perturbare aut violare tentaverit, cuiuscunque sit ordinis, dignitatis, aut professionis, tanquam Dei inimicus, & ordinationi ejus tyrannide saeva resistens, & Ecclesiae Dei hostis, totiusque pacis & Christianitatis dissipator, anathemate usque ad satisfactionem teneatur omni tempore annexus.

Responderunt: *Fiat, fiat.*

## ITEM SVMMVS PONTIFEX.

Patratores & incitatores pessimi hujus consilij, qui profecto cum ministris sint diaboli, sua quaerunt, non quae Iesu Christi, & in imperium subintroducere simulates & discordiam moliantur, ac fraudulentia immittere schismata ad confundendam Ecclesiae unitatem regni que congruum statum & ordinem rei que publicae utilitatem

tem & tranquillitatem conantur, si deinceps in talibus inventi fuerint, si quidem ecclesiastici viri extiterint, tanquam veri schismatici & à capite dissidentes, omnimodis deponantur, laici verò & monachi

perpetuo anathemate feriantur.

Et responderunt omnes tertio : *Fiat, fiat, fiat.*

Subscripsit ergo Dominus Papa, & cum eo Episcopi qui adfuerunt.

## TITVLVS LII.

### Exactio Nortmannis constituta.

*HÆC EXACTIO A NORTMANNIS, QUI ERANT in Sequana tempore Karoli Regis, de suo regno fuit facta, ut ab ipsius regno recederent.*

**V**Nusquisque Episcopus qui habet abbatiam, aut Abbas qui similiter habet abbatiam, aut Comes qui æquè habet abbatiam, de suo manso indomincato, similiterque & de vassallorum, accipiat de manso indomincato denarios duodecim de manso ingenuili, quatuor denarios de censu dominicato, & quatuor de sua facultate, de servili verò duos denarios de censu, & de sua facultate duos. De omnibus verò Ecclesiis unusquisque Episcopus vel Abba de sua solummodo potestate accipiant, de Presbyteris à quocunque plurimum solidos quinque, & de unoquoque juxta quod possibile fuerit, ita ut à quo plurimum, quinque solidos, à quo minimum, quatuor denarios. De Ecclesiis verò quas Comites & vassalli dominici habent, seu de illis qui cum seniore nostro pergere debent, sive qui remanserint, Episcopus in cujus parrochia consistunt secundum prætaxatum modum accipere procurabit. De Ecclesiis verò Imperatricis Episcopus similiter accipiet prætaxato modo.

*Anno incarnationis dominice DCCCLXXVII. Nonis Maij, in Compendio palatio, de aliqua sed non de tota parte regni quod Dominus Imperator Karolus habuit antequam junior Hlotharius defunctus fuisset, hæc constituta*

*est exactio Nortmannis, qui erant in Sequana, tribuenda, ut à regno ejus recederent.*

Episcopi, Abbates, Comites, ac vassi dominici ex suis honoribus de unoquoque manso indomincato donent denarios duodecim de manso ingenuili, quatuor denarios de censu dominicato, & quatuor de facultate mansuarj; de servili verò manso duos denarios de censu indomincato, & duos de facultate mansuarj. De omnibus verò Ecclesiis unusquisque Episcopus de suo episcopatu, vel Abbas de sua solummodo abbatia, in cujuscunque Episcopi sint parrochia, accipiant cum Misso Episcopi in cujus parrochia sunt, de Presbyteris secundum possibilitatem, quinque solidos, vel quatuor, vel tres, vel duos, vel unum solidum. à quo plurimum, quinque solidos, à quo minimum, quatuor denarios. De Ecclesiis verò Imperatoris & Imperatricis & Comitum ac vassallorum imperialium, tam de illis qui cum Imperatore pergent, quam & illis qui remanserint, Episcopus in cujus parrochia consistunt secundum prædictum modum coniectum accipiat. De negotiatoribus autem, vel qui in civitatibus commanent, juxta possibilitatem, secundum quod habuerint de facultatibus, coniectus exigatur.

